

docentes de Cena & alijs capitibus doctrina, non minus iam, quam tum temporis, quo scripta & exhibita Casari Confessio fuit, sinceri nostrarum Ecclesiarum & scholarum doctores & Principes improbant & confutant Verbo Dei & solidis ac veris scripturae atq; Ecclesiae testimonijs, & consensu orthodoxo pie vetustatis, ac particulas illas (improbant secus docentes) nequaquam ex confessione exemptas esse volunt. Mentiuntur ergo suriani & alij, fingentes Augustanam Confessionem esse cothurnum aptum pedibus sectariorum quorumlibet, quemadmodum etiam Staphylus transfuga scribere nefario animo ausus fuit, qui & penas dedit τῶν ἀχάρινων σομάτων, & alijs, ne mentiantur, exemplo & terrori esse debet. Et quae non tantum de Cena, sed de omnibus doctrinae & fidei Christianae capitibus confessio sit harum Ecclesiarum atq; scholarum, sub qua nullus ex hereticis, & secus docentibus receptum suum querere ac occultare sua deliria potest, quocumq; ille nomine sese aut sua venditet, testantur scripta omnia cum Lutheri, tum Philippi. Ut enim in vita utriusq; ὁμόνοια fuit dulcissima & constantissima, ita eadem & post mortem utriusq; mansit, & mansura est in omnem aeternitatem. Nec opus est interlocutione vel Surij vel aliorum. Res est in aperto posita. Nec sinimus vel in minimo articulo aut puncto doctrinae disiungi Lutheri & Philippi animos, studia, opera, labores, sententias, doctrinam, fidem,